VOTA,

CUM

SUMME REVERENDUS, EXCELLENTISSIMUSQUE DOMINUS,

DN. SAMUEL SCHELGUIGIUS,

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, ECCLESIÆ AD SS. TRINITATEM PASTOR, ET ATHENÆI GEDANENSIS RECTOR VIGILANTISSIMUS MERITISSIMUSQUE,

FAUTOR ET PROMOTOR STUDIORUM MEORUM PLUSQUAM FILIALI AMORE COLENDUS;

DIE VIII. MARTII ANNI MDCCXIII.

VITÆ TERMINUM,

ANNUM ÆTATIS SEPTUAGESIMUM,

FELICITER SUPERASSET,

SUB IPSA NATALIS DIEI SOLENNITATE,

SUSCEPIT SOLVITQUE

TOTIUS SPLENDIDISSIMÆ SCHELGUIGIORUM FAMILIÆ,

CLIENS HUMILLIMUS

GOTTOFREDUS PENSKI,

OSTERODA BORUSSUS.

GEDANI,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII,

SENATUS ET ATHENÆI

TYPOGRAPHI.

QUantum ad (a) *dies annorum noſtrorum; in iis ſunt Septuaginta anni.* (b)

VENERANDE SENEX!

ERgone hodie diem revolvis Natalitium,
& termino vitæ à Moſe ſtatuto,
coronidem ex voto imponis?
Scilicet illud unum ſummæ TUÆ inter mortales
felicitati deerat:
Ut numeris omnibus Vir abſolutus audires.
Obtines igitur hodie quicquid votorum
in ſortem humanam cadere poteſt.
Vah! quam multa cœleſte Numen in TE contulit!
Sapientiæ omnis, Divinæ & humanæ
quaſi oraculum merito audis:
Dictis ſcriptisque, per omnem Chriſtiani orbis ambitum
pridem inclaruiſti, & adhuc inclareſcis:
Deſideratisſimum FILIORUM PAR,
Paternæ gloriæ & virtutis hæredes,
DEUS TIBI concesſit:
Omnibus conſiliis ſuam adſpiravit gratiam.
Quæ cœleſtia munera
dum grata mente recolimus,
Omnes in lætitiam diffundimur.
Hinc fauſtis Acclamationibus domus TUA perſonat.
Sacer in templo cœtus lætam exporrigit frontem,
Quod Antiſtitem ſuum ſalvum & incolumem conſpiciat.
ATHENÆUM exultat, & bona verba dicit,
quod CAPUT, RECTOREM & DUCEM ſuum,
longa annorum experientia inclytum,
ſoſpitem iterum videat.
Ego, inter reliquos literarum ſtudioſos,
tenui licet fortuna,
Obſeqvioſo certe cultu nullo unqvam minor,
lætantium numerum augere geſtio;
nec una me modo cauſa admonet hujus officii.
Non hic effundar in prolixam laudis ſeriem:
nam hæc absque interprete omnibus innotuit;
adeo, ut qui merita TUA recenſeat,
ſoli lumen addat.
Nec delectantur TUÆ aures proprio Encomio,
nec aſveta mea lingva magnis Elogiis;

Hoc

(a) *Sic vertit B. Dn. SEB. SCHMIDIUS.* (b) *Pſ. XC. 10. coll. Hiob. IX. 25. Syr. XVIII. 8. Explicationem dicti allegati vide in Dn. MART. GEIERI Comment. ſuper Pſ. p. 1655. Calov. Bibl. Illuſtr. p. 1073.*

Hoc per compendium dixiſſe ſatis erit:
Nullum præteriiſſe annum,
quorum Septuageſimum primum auſpicato
hodie ingrederis,
qui non peculiari fructu ditiorem virtutem
TUAM demonſtraſſet.
Ea enim magni animi indoles: nunquam fatigari,
nunquam non honeſtisſimis exercitiis operam dare:
ſemel ubi laudabile obtinuit propoſitum,
nullæ id eripient animo difficultates.
In muneris functionibus
Utilis magis eſſe, quam videri ſtudes.
Sacrorum Antiſtes
fideliter oves Chriſti paſcis
errantes in viam reducis,
per mores TUOS, formas alienos;
cumq; plurimum vales Eloqventia,
plurimum TUO efficis exemplo.
ATHENÆI RECTOR,
Orthodoxiam ſtrenuè pro Cathedra defendis,
Orcodoxiam ad ſtygiam paludem remittis,
Ranas coaxantes fortiter obtundis.
Mira virtutis Sors!
Ob benefacta, maledictis lacerari;
Sed ea mentium nonnullarum fœditas,
ut aliorum virtutes,
quas nec poſſidere, nec ſperare valent,
veluti monedulæ, ſordibus affricare ſtudeant.
Hæc ſi & TIBI, *DIVINE SENEX*, contigerint,
quid mirum.
Multos habuiſti virtutis TUÆ obtrectatores,
ſed nihil inde damni ad TE pertigit.
Vivis adhuc vigesqve,
Et TUA virtus etiam poſt funera vivet,
addat DEUS æternitatem!
etiam frendente invidia,
cui gravius nihil accidere noſti,
quam ſi videndo ſpernas,
& patiendo vincas.
In domo quidem TUA ſæpius incrementum,
ſæpius luctum vidiſti,
ſed utrumqve pari conſtantia excepiſti:
niſi quod lætitiam cum Amicis diviſeris,
triſtitiam ſuis parietibus terminaveris.
Eccleſiæ & Juventutis ſalutem,
ſupremam functionum TUARUM legem dixiſti.
Auditores TUOS inescaſti non mamma ſed manna,
procul ab aſſentatione,
alienus ab omni avaritia.

Hinc

Hinc omnium Tuorum mereris favorem,
nullius invidiam;
ac proinde exemplo magis, quam institutis
flectere singulos videris:
Facilis alloqvio, & Auctoritatem retines:
Disciplinam exerces
nec diminuis tamen amorem, observantiamqve.
Afflictorum Consolator, egenorum Patronus, omnium Pater.
Qvi licet omnium functionum numeros expleveris,
ut jure rude donari possis;
tantum tamen abest,
ut quietem & remissionem ab officii muneribus TIBI indulgeas;
ut potius novas supra ordinarias operas addas,
& quæ sæpius jam consummasti, denuo incipias:
calcatamque multoties viam,
novis perpetuo insignias vestigiis.
Sic nunquam NOSTER sibi dissimilis,
sed ingravescente licet jam ætate,
quotidie seipso superior;
non spem modo ac votum totius Orthodoxiæ,
sed ipsius voti fiduciam,
sustinens ac confirmans.
O macte DIVINO hoc SENE
Inclytum Athenæum!
Inter cujus venerandam canitiem,
studiosa perpetuo effloreseit Juventus.
Illius contemplare senectutem,
qvi tot annorum laudabiles conatus,
tuæ Virtutis & Eruditionis pretium facit.
Sileo alios Paterni affectus clarissimos testes.
Quis talia audiens, TE non deprædicet?
Quis hujus diei lætitiam non probet,
qua TECUM TUI omnes perfunduntur?
Ego, quod mearum partium, chartaceum pignus,
Vota devota, devotissima mente lubens hic offero;
Et profecto veneranda illa TUA canities,
animo meo semper obversatur,
illam, vel hoc indice colendam duxi,
submisse rogitans,
ut quem hactenus non inter degeneres
Gymnasii Cives reputando,
TUIS fere Domesticis annumerasti,
valido porro Patrocinio fulcire velis;
quo pulchrius fortunam suam
hic & alibi erigere possit.
O fiat! fiat!

(o)